



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

16. Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

credunt, tum demum veri notitiam consequantur. *Fides enim
precedere debet intellectum* (ait Augustinus) *ut intellectus sit De verb.
fidei primum.* Ita omnia inuenit Calvinus: & quia ad hære- *Domini
sim non fidem; ad sectas non ad vnã verã Catholicã* *Serm. 50.*
Ecclesiam, lectorem trahit, ideò ea via procedit qua fiunt
hæretici, non qua iuxta ordinem à Christo institutum fiunt
credentes & veri discipuli Christi. Ordo Christi hic est, vt à
Pastoribus accipiatur doctrina, & ex Pastorum iudicio pen-
deant oues. Calvinus contrà ex doctrina vult cognosci à po-
pulo Pastores, vt ex ouium iudicio ac veri notitia quam ex
proprio discretionis spiritu quisque habet, tota Pastorum
authoritas & tota veræ Ecclesiæ notitia dependeat. Sic ab
vnitate Ecclesiæ lectores diuellere hoc loco sategit.

16. *Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor.*

Veniente in mundum Christo, duo erant ouilia gregis
Dominici: vnum speciale & notissimum, Synagoga Iu-
daica; speciale, quia de venturo Messia expressam fidem ha-
bebat, præcepta quoque ceremonialia & iudicialia à Deo tra-
dita, & eloquia Dei illi concredita; notissimum, propter reli-
gionis amplitudinem & perfectionem, vnde *notus in Iudæa Psal. 76.
Deus, & in Israel magnum nomen eius, & propter accepta Dei
beneficia peculium Dei (non enim fecit taliter omni nationi, & Psal. 147.
iudicia sua non manifestauit eis,) alterum Ecclesia Gentium*
toto orbe dispersa, quæ propter raritatem & paucitatem ouiu-
lis, *mulier sterilis & deserta* in Scripturis vocatur: vbi tamen *Esaï. 54.*
aliqui erant ad ouile Dei pertinentes, vt Ierhro Madianita,
Iob cum tota familia sua, Sibyllæ, & huiusmodi, qui in vnus
Dei fide & in mandatorum moralium obseruatione cum Sy-
nagoga conueniebant, sed ad externum cultum quod atti-
net, iuxta legem naturæ certis & indefinitis sacrificiis (vt
patet in Iob) Deo seruiebant. Qua de re vide latè disputan-
tem August. Nunc autem dicit Christus quòd hæc duo *De Ciuit.
Dei lib.
18. cap. 47.
& de præd.
sanct. c. 9.
Ioan. 11.
Ephes. 2.*
ouilia vnum fient ouile; quod postea aliis verbis Euāgelista
dixit, *Christum moriturum non solum pro gente Iudaica, sed vt
filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum: & Paulus
significauit dicens de Christo: Qui fecit vtraque vnum, vt
duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, euangeli-
zans pacem ijs qui longè fuerunt, & ijs qui propè.* Addit porro
Christus non solum fore vnũ ouile, sed & fore vnum Pasto-
rem, id est, non solum vnã vniuersalẽ Catholicã Ecclesiam, *Vnus su-
premus
Pastor in
Ecclesia.*

Rom. 2.

in qua non erit *distinctio Iudaei & Graeci*, non solum vnum populum, vnā fidem, vnicā religionem, eadē Sacramenta, vnum sacrificium (hæc enim constituunt vnum ouile) sed etiam vnum caput religionis, & vnicum supremum gubernatorem, visibilem & præsentem, qui visibilem & militantem Ecclesiam regat. Sicut enim de ouili visibili & militante Christus hîc loquitur; sic & de vno Pastore seu capite visibili ac militante perpetuò futuro, non de se ad Patrem redituro ac in cælis triumphante loqui necessario intelligendus est. Hæc de causa post resurrectionem suam, quo tempore hoc ouile colligi debuit per Apostolorum prædicationem in vniuerso mundo, eodem tempore vnum pastorem

Ioan. 21.

omnibus præfecit, dicens Petro singulariter, *Pasce oves meas*. Sic in alia Scriptura, vbi hæc vnus ouilis collectio manifestè

Ezech. 37.

prædicatur his verbis, *Assumam filios Israel de medio nationum ad quas abierunt, & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum suam, & faciam eos in gentem vnā in terris montibus Israel* (quæ verba Theodoretus his Christi verbis, quæ nunc tractamus, eruditè & verè applicat, nam & alioquin decem tribus cum aliis duabus nunquam iterum sub vno Rege coaluerunt) addit quoque Propheta, *Et Rex vnus erit omnibus imperans*. Hic est vnus Pastor visibilis ac supremus, non ipse Deus, qui manente diuisione Synagoga & Ecclesie Gentium, vnus semper vtrique imperabat, quatenus vnus Dei fidem & mandata vtrumque ouile obseruabat. Sic huius contextus litera bene & diligenter perpensa, non secus vniuersæ totius Ecclesie caput visibile quàm vnum corpus visibile efficaciter probat.

Atqui non id admittit Calvinus. *Obserua* (inquit) *modum quo grex Dei colligitur. Nempe quum vnus est omnium Pastor, & vox eius auditur. Quæ verba significant, vbi subest vni Christo Ecclesia, eius imperio paret, doctrinæq; auscultat, tunc de vniuersitate compositum eius esse statum. Sed non esse hunc totum & plenum verborum Christi sensum, præcedentia monstrant. Agit Christus de vno Pastore qui vnum ouile regat, sicut antea duo ouilia varios habebant Pastores; Synagoga vnum certum summum Pontificem (quæ in hoc quoque Ecclesiam Gentium excellebat) Ecclesia Gentium toto orbe dispersa varios & incertos fidei magistros. Denique visibilis Ecclesie tam Iudæorum quàm Gentium in vnum visibile ouile colligendæ vnum fore visibilem Pastorem docet. Ezechiel Propheta de eodem vno super totum ouile visibilem Pastorem*

Pastore prædixit. Christus vnum huiusmodi Petrum constituit. Tum de eo quod futurum est Christus loquitur, *Fiet vnum ouile, & fiet vnus Pastor.* At ante Christum incarnatum Christus, vt Deus, fuit caput totius Ecclesiæ, & vtrumque ouile habuit semper vnum Pastorem Deum, in quem vtrumque credebatur, & cuius mandatis vtrumque obtemperabat. Tandem Christus est vnus Pastor omnium, voxque eius auditur, quatenus per visibiles Pastores Ecclesiæ suæ datos pascit, & in illis auditur. *Qui vos audit, me audit. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Pascite oues meas.* Nunc Caluinus, cum cæteris hæreticis, Christi vocem audire volunt non per eos loquentem per quos loqui & se audiri voluit, sed in scripto verbo prout illi volunt intellecto loquentem: hoc est, ita loquentem sicut illi eum loqui volunt. Quum enim non nisi in scripto verbo loquentem Christum audiunt, hoc autem scriptum verbum ita illis sonabit sicut ipsimet proprio quisque cerebro variè, differenter, ac repugnanter exponunt, sequitur vt non Christum sed seipsos audiant; & sub prætextu audiendi vnum Christum, Ecclesiæ vocem artificiosè reiiciant, per quam solam Christus loquitur, quæ sola verbum scriptum & totam vocem sponsi sui optimè nouit atque intelligit. Tunc igitur ouilis Dominici status ritè erit cõpositus, quando vni quidem Christo subest Ecclesia, id est, populus credentium, sed per eos in Ecclesia loquenti quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiã suam, eiusque sic loquentis imperio parer, doctrinæque auscultat: non quando reiecta voce vnus supremi Pastoris & aliorum in Ecclesia Pastorum vni Christo in verbo scripto loquenti subest, parer, & auscultat. Sic enim non Christo obeditur, sed variis opinionum idolis, quæ ex verbo scripto quisque sibi hæreticus fabricat. Ex vno illo verbo, *Hoc est corpus meum*, ferè centum idola horum temporum hæretici sibi sinxerunt: nec ibi subesse Christo volunt, aut vocem eius audire, sed in mille formas verba eius torquere, lacerare, dilaniare, & quiduis potius credere, quam quod vox illa Christi disertissimè sonat. Imò ne Christi verbis supersticiosè affixi simus, omnibus modis contendit impostor Calvinus, vt supra accepimus. Eadem & hinc vsus impostura, ad vnus Christi vocem specioso & fallaci prætextu lectorem pellicit. Quo blandimento hypocritico vsus, quasi nihil sanctius dici posset, ita mox contra nos inuehitur. *Si quid tale apud se nobis Papista obtendant, fruantur quantum opere superbiunt Ecclesiæ titulo. Si verò illic silet Christus,*

Luc. 10.
Matth 16.
Ioan. 21.

Hæretici
seipsos audiunt.

Ad Marc.
cap. 26.

Schisma-
tis Calui-
niani de-
fensio rati-
ficatur.

pedibus calcatur eius maiestas, ludibrio habentur sacra eius instituta, quid aliud est eorum unitas quam diabolica conspiratio, quae omni dissipatione peior est ac magis execranda? Proinde meminerimus semper à capite sumendum esse exordium. Haec in genere declamatio facile totidem verbis in Calvinum ac suos retorquetur. Si quid tale Calvinista obtenderent, si loquentem per Ecclesiae vocem Christum agnoscerent, non iniuria vni Christo se subesse, eiusque vocem se audire profiteretur. Si verò illic silet Christus, auditur Calvinus, auditur Bucerus, Lutherus, & alij quos tacere oportuit ab Christi corpore percipios; si pedibus conculcatur Christi maiestas, eiusque sacratissima verba indignissimum in modum lacerantur, torquentur, eculco subiiciuntur; si ludibrio habentur sacra eius instituta, imprimis venerabilis Eucharistia ad prophanam cenam redacta; quid aliud est tota haec Calvini hypocritica professio, vni Christo subesse Ecclesiam, eius unius vocem audiendam, ei vni parendum & auscultandum, quam hominum rebellium nefaria conspiratio, qui sub praetextu obedientiae vni Regi praestandae, locales suos magistratus è gradu deiciunt & eorum excusso iugo, in eundem se locum intrudunt, vociferantes se Regis causam agere, se vni Regi parere. Proinde meminerimus sic à capite sumendum exordium, ut nec in civilibus Regi subordinati duces sua autoritate excidant, nec in sacris Pastores à Christo capite instituti legitimi sua potestate priuentur: sed tunc demum siue Regi in civilibus, siue Christo capiti in tota sacra doctrina, sacrisque eius institutis nos vni subesse, parere, auscultare, quando tum ducibus à Rege missis tum Pastoribus, Doctoribus, & vni maxime Petro à Christo ad pascendam & regendam Ecclesiam suam datis, subesse non recusamus, quando eorum vocem audimus, illis paremus & auscultamus.

Ecclesia
vox & au-
thoritas
necessaria.

Subiungit adhuc aliquid de veteris testamenti Prophetis, ut figmentum suum probabile efficiat. Vnde & Propheta (Ieremias) quum Ecclesia instaurationem describit, semper Davidem Regem adiungunt Deo: ac si dicerent, neque Ecclesiam esse ubi non regnat Deus, neque extare regnum Dei, nisi ubi Pastori honos Christo defertur. Quod Propheta semper Davidem Regem adiungunt Deo, id contra Calvinum luculenter probat, in causa religionis semper esse Ecclesiam adiungendam Christo, quia neque auditur Christus nisi per Ecclesiam, neque extare regnum Christi potest nisi ubi illis honos defertur, quos ille in honore esse voluit, nisi ubi illi audiuntur

quos ille audiri iussit, nisi ubi illis obeditur, quibus ille obedire suos voluit. Calvinus artificiosè totum aut inuertit aut obscurat. Inuertit dicens, *non esse Ecclesiam ubi non regnat Deus*, quum contrà dici debeat, non regnare Deum ubi non est Ecclesia, in qua & per quam, quo ad doctrinam magisterium, Deus regnat. Per Ecclesiam quippe Deus cognoscitur, & Christus eius, & quicquid ad fidem pertinet: non autem per Deum immediatè & per se loquentem cognoscitur Ecclesia, aut aliquid aliud de fide. Non cognoscitur, inquam, ordinatio cognoscendi modo, quem Christus instituit. Rursum obscurat veritatem Calvinus, dicens, *non extare regnum Dei nisi ubi Pastoris honos Christo defertur*. Obscurat, inquam, veritatem, quia totum non dicit. Vt enim regnum Dei extet, non satis est Pastoris honorem Christo deferri, tamen Princeps Pastorum sit, imò quia princeps Pastorum est, & alios Ecclesiae suae Pastores dedit, idque ut *regant Ecclesiam Christi sanguine acquisitam, quibus etià obedire & subiacere oportet*, debet præterea & aliis quoque Pastoribus honor deferri, quod qui facere detrectat, Christo iniuriam irrogat, dicenti, *Qui vos spernit, me spernit*. Quod autem de Prophetis Ecclesiam instaurantibus, quibus se ac suos similes esse Calvinus vult, iterum hoc loco suggerit Calvinus, in alio loco explicatum & refutatum dedimus. Manet ergo sana ac firma Christi sententia, *Vnum fore ouile, & unum Pastorem*, propter vnum primarium in pascendo vicarium, qui pariter cum aliis à Christo datis Pastoribus vnum istud ouile perpetuò pascat ac regat.

18. 26.

Heb. 13.

Luc. 10.

Suprà ad

Ioan. cap.

7. ver. 48.

26. *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.*

Horum verborum intelligentia quam tradidit S. August. *tract. 48. in hunc locum, videlicet, idcirco hos Iudaeos non credidisse, quia de numero electorum non erant, nisi dexterè accommodetur, erroris causam dare, & hæresi Calvinianæ patrocinari videbitur.* Docet enim Calvinus solos electos fidei donum accipere, & reprobos nunquam credere, ac nec posse credere, non solùm quia efficaciter non vocantur, sed quia nec vocantur à Deo. Sic vniuersalem vocationem negat. *Si (inquit) diceret Scriptura Euangelium malignè & peruersè cõ-* *Institut. lib. 3. c. 2. num. 10.*
temni, quia audire pertinaciter multi recusant, valeret fortè hic color de vniuersali vocatione. Negat ergo Calvinus causam contempti Euangelij esse hominum pertinaciam credere